De delictis publicis,

præcipua juris Patriæ publici et criminalis
ratione habita,

Dissertatio Academica,

quam,

ex speciali S:æ Reg. Maj:s Gratia

et

jubente Ampl. Senatu Acad. Lund.,

p. p.

CHRISTIANUS NAUMANN,
Philos. Mag., Jur. Utr. Cand., Reg. Acad. Lundens. Secretarius,

et

Respondens

CAROLUS OSCAR HAGBERG,
Scanus.

In Acad. Carol. die XXX Aprilis MDCCCXLV.

IV.

Lundæ,
Typis Berlingianus,
MDCCCXLV.

mis criminibus [10]) adnumerant *proditionem*. Habetur proditor: 1. Qui patriam vel regem ipsius armatus adgreditur; 2. Qui hominem, cui fidem juravit, vel quem dominum agnovit [1]), necat vel prodit; quod idem si quis herum occideret, valebat. Ex jure Vestrogothico poena proscriptionis et bonorum confiscationis tam immobilium quam mobilium, sed ex ceteris provinciarum legibus poena capitis et ejusmodi confiscationis, afficiebantur tam auctor criminis proditionis quam socii [2]). — Ex jure communi non minus Magni Erici *(Magni Erikssons Landslag)*, quam Christophoriano, *(Christophers Landslag)*, nec non Jure Urbico *(Stadslagen)*, proditio committitur: 1. Si quis exercitum suscitat *("reiser")* adversus regem vel regni dominum, vel insidias struit, animo eum capiendi vel occidendi, vel aliquam violentiam aut quod injustum est contra ipsum facit, litteris, consiliis, factis vel auxilio; 2. Si quis ducit ("ledhir") adversus patriam suam peregrinum exercitum et gestat hostilia arma ("bär afwoghan skiöld") contra verum suum dominum, populatur patriam suam propriam, nisi sequa-

---

[10]) "Niþingsværk, Orbotæ mal, Högh mæle."

[1]) Cfr. librum meum: *"Sveriges Statsförfattnings-rätt"*, Stockholm 1844, I D. 1 Afd. p. 37.

[2]) WGL. I. Orb. § 4. "þæt ær niþingsværk at bæræ sciuld iuir þangbreccu (armata manu per terminalem silvam in regnum invadere), hæriær a sit eighit land, firir gjort iord, lansuist ok lösum örum". § 7. "Dræper maþær lönær droten sin (herum suum), þæt ær niþingsværk". — II Orb. 1: pr. "Dræpir man sin rættæ hærræ, sum han hauir tro giuit, þet ær orbotæ mal. han hauir firi gjort landæ ok lösum örum allum". § 8. "Bær maþær skiold iuir þengbrækku, ok hærriæ sit land, þæt ær orbotæ mal, ok sua allum þem hanum fylghiæ þær til". — ÖGL. EþzöreB. XXX: "Nu hittis þæn man sum leþir a land sit hær utlænzskan, bær skiold iuir þang ok þanbriko, hæria land siafs sins ok brænnir, bindær folk ok bort före, leþis mæþ uitnum: þa hauær han firiwærkat eghn sinne ok *liui sinu* ok sua allu þy, sum han a innan lanþzs ok laghsaghu, af hanz gozs taki en þriþiung þæn sum skaþan fik: annan kunungur. þriþia alli mæn. Nu þær þylikt maþ uitis manne. þa skulu han uitna siax boande mæn ok suæria han þær sannan at uara". — UplL. ManhB. XV: "Hwar sum awghæn skiold förær gen *allwaldughum kononge* ællr gen *hanz riki*, han ær siælffær föddær innan, han hawær fore giört hals, — — ok þær til iorþ ok goz hans undir krununæ. § 1. "Hwilikin man sin rættæn hærræ dræpær, hwat han ær hældær fatökæri hærræ ællr rikæri etc. Nu kan bondæ leghudrængær ællr brytiæ, ællr þeræ leghu kona, ællær þræl þeræ ællr ambat, bondæn ællr brytiæn *æller þeræ husfrur ællr barn þeræ* dræpæ (SML. add.: *"æller forraþa")*, taki þa þylikin ræt nu ær upp talder". — SML. Manh. B. XXXVI: "Hwar som före awghan skiold eller reser hær mote sinum *rættum* kununge ællr þy rike han inföder ær etc. — WML. Manh. B. XIII. HL. Manh. B. XXIV. — *Obs. 1.* In WGL. II. Add. 7. § 31. hæc occurrunt: þættæ lysti ok konong *byrghir*, at huilkin man slar til blamæ æller till bloz æller dræper sin husbondæ, hwat han ær helder leghuman æller trogiuin man, þa hauær han *brutit eþzöret*". Hoc autem crimen postea, ut supra ostendimus, in numerum eorum, quæ *Höghmål* appellabantur, relatum invenimus. — *Obs. 2.* Vocantur in II WGL. (p. 118) *Orbotæmal* etiam *ezöre konongs* (§ 13); de quo vide sis librum meum: "Om Edsöret enligt Landskapslagarne", p. 51 ff.

tur illum (St.L. addit regem), qui legitime pervenit ad regnum. Auctor hujus criminis atque "omnes qui cum eo erant" poena capitis et omnium bonorum confiscationis afficiebantur. Occurrunt in titulo, qui de gravioribus agit criminibus (*"Höghmälis Balker"*), statuta jam allata; quibus quidem de iis, quæ in jure Britannico *minoris* nomine proditionis insigniuntur, hæc adjuncta sunt: "Si colonus ("landbo"), dispensator ("bryti"), molitor, minister fide obligatus ("troskylder sven"), vel cujuscumque horum uxor occidat verum suum dominum aut patremfamilias vel ejus uxorem" etc. [3]). Hæc mere Germanica proditionis est notio [4]). — De *injuriis* in Regem *verbalibus* Jus Christophorianum in titulo de Rege (*"Konungs-Balker"*) [5]) hæc habet: "Quicumque loquitur in Regem vel Regis Senatores, unum vel plures, quod eorum existimationi vel honori detrahat, *nec possit illud plane probare;* si hoc testentur sex boni viri, qui audiverunt, ille capite plectetur. Si quis alia indigna verba effuderit, quæ tamen eorum existimationi vel honori non detrahant, mulctetur IX marcis, vel includatur regis carceri ad unam mensem et cibetur aqua et pane". Unde patet, secundum MELL. et ChrLL., nulla habita ratione ejus, qui violatus erat, jus unicuique competere, criminationem a se factam veram esse probare; quod si hæc omitteret reus (criminator), ut poenam daret, lege erat præceptum. In Jure vero Urbico ejusmodi jus probandi hoc loco [6]) non commemoratur.

In legislationem de proditionis crimine patriæ nostræ nullam insigniorem juris Romani [7]) vim antea invenire licet, quam cum Decreto Ordinum regni Norcopensi a:o 1604 constitutum fuit, *liberos* nobilium, in quos, ob studium erga Sigismundum

---

[3]) *Liberi* patrisfamilias non heic, ut in Legibus provinciarum, nominantur.

[4]) Chr.LL. Höghm. B. cap. 8, 9, 10. — MELL. (versio Ragvaldi Ingemundi) ibid. c. 7, 8, 9. — Stadz-Laghen Höghm. B. c. 6, 7, 8.

[5]) Cap. 9.

[6]) KgB. cap. 8.

[7]) De iis, quæ in notissimis Benedicti Ducis, fratris MAGNI Regis, litteris d. 25 Julii 1282 dicuntur: Seditiosos Folkungicos, quoniam in mortem principis procerumque ejus, *qui pars corporis ejus sunt,* fuerunt machinati, in *legem Juliam Majestatis* incidisse etc. vid. Cel. *Schlyter* Jurid. Afhandl. 1 H., Upsala 1836, p. 20. — De pronitate *regum* stirpis illius Folkungicæ ad principia juris exteri in legislatione etiam patriæ recipienda, vide sis librum supra citatum: Sveriges Statsförfattnings-rätt I: 46.

Regem, Lincopiæ a:o 1600 capitali poena animadversum fuit [8]), a muneribus imperii gravioribus esse arcendos, nisi singulari gratia regis vel principum gauderent, atque præterea dignitate privandos Baronali et prædiis, quæ patribus data erant, beneficiariis; cujus quidem statuti ratio esse declaratur, quotidiano rerum usu compertum esse, in liberos vitia parentum vulgo hereditate transfundi, liberosque criminum paternorum citissime oblivisci, nisi quotidiana recordatione iis ante oculos obversentur hæc ipsa crimina. Præterquam quod statutum fuit: qui adsumtum turbaret *Successionis Ordinem*, et ex regno electorio hereditarium rursus facere conaretur, proditoris hunc poena esse afficiendum, quam quidem poenam daturi essent etiam *liberi* ipsorum, si ea provecti essent ætate, ut proditionem sibi cognitam habere *possent*, non vero patefacerent. Sin nondum adolevissent, ut ipsum crimen non possent non ignorare, vita bonisque privandus esset criminis reus, liberi vero nec infames forent, nec hereditatis expertes maternæ; nisi proditionem sibi cognitam habuisset mater, nam si ita sese res haberet, coronæ etiam addicta essent materna bona. Utcumque erat, honores imperii graviores adipisci liberis non licebat, nisi singulari regis gratia uterentur. Referunt immitem istam, de qua antea mentionem fecimus, constitutionem Impp. *Honorii* et *Arcadii* omnia sane hæc crudeliter statuta. — Occurrit appellatio illa Romana: *"crimen læsæ majestatis"* in Ordine Judiciorum a:i 1615, ubi præcipitur, de his criminibus a supremo regis Dicasterio cognoscendum esse ac dijudicandum; et *Statutum Orebrogense* anni 1617, quo, sub poena proditionis, omnis cum Sigismundo, Rege Poloniæ, prohibetur communitas, mendaciorum quoque, quibus existant discordia, turba et tumultus, divulgationem vetat, poena capitis vel exilii proposita. — *Legibus Gustavi II Adolphi militaribus* a:i 1621, quibus statuitur, omnia læsæ majestatis crimina (sensu latiori), a milite commissa, a supremo Dicasterio militari cognoscenda esse atque dijudicanda, accuratius descriptum invenimus, quænam heic referenda essent criminum species, et quæ §. 133 hoc ordine enumerantur": Om någor gör försåt på Oss,

---

[8]) Judicii, quo condemnati fuerunt infelices, hæc proponitur ratio: "at the både rådt Konungen til och sjelffue warit fölgachtige, emoot Sveriges Lagh, at före uthlensken Häär å Fosterland there, thet til at härje och förderffue, och icke som en rättkommen Konung til Rijket hade ägnet och bordt, sine Undersåter effter Lagh och Rätt att frije och beskärme". Linköp. Riksd. Besl. 1600.

såsom Sveriges Konung, och wil oss dräpa med ord eller gärningar; om någhor talar thet Wår Konglige Högheet och goda rychte är förnär; om någon *hafwer sigh föresatt* at förråda, tracterat medh Fienden ther om, eller och medh gärningen förråder någon wår Fästning, Läger eller Wårt Krijgzfolck, eller Skepsflotta, eller någhet annat slijkt Oss och Cronan macht uppå ligger, såsom och om någon hafwer ther wetskap om, och thet icke uppenbarar; om någon hafwer heemlig correspondens medh Fienden; om någon förer afwogan Sköld emot Oss och Fäderneslandet; om någon gör gärning å *Rijksens Arffurste*, gör försåt å honom, eller talar om honom försmädeligen; om någon förgör eller trachtar at förgöra Marsken, eller någon annan aff General-Officerarne, som han är lydno och Wyrdning plichtigh, eller talar hånligen om them". — In *Statutis Caroli X Gustavi Aulicis* a:i 1655, §. 5, proditor declaratur qui veneno, machinationibus clandestinis, vel verbis factisve manifestis, consilio vel actione, Regem, *Reginam vel stirpem Regiam* ("Wår Gemåhl och Wåre Liifsarfwingar") violaverit vel hoc saltim in animo habuerit ("hafft i sinnet"), quamvis effectui datum non fuerit; additurque ad proditionis species in constitutionibus supra nominatis enumeratas, etiam hoc crimen: si quis ea, quæ occulta velit rex, ei, cujus ad notitiam hæc quidem pervenire non deberent, patefecerit. Distinguitur *Constit. Reg. d. 2 Martii 1683* inter *proditionem* et *crimen læsæ majestatis humanæ* (quæ *divinæ* opponitur), et refertur ad hoc ipsum crimen læs. maj. hum.: si quis "Regiæ majestati utpote Regi Sueciæ *(på Kongl. Maj:t såsom Sveriges Konung)*", si Reginæ, si legitimæ stirpi regiæ *(Kongl. Maj:ts ächta Bröstarfvingar)* insidiatur, cædem eorum moliens vel perniciem sive dicendo sine scribendo inferendam, unde violatur ipsorum majestas, celsitudo, famæ nobilitas. *In Constit. Reg. d. 9 Dec. 1696* sub poena proditionis interdicitur iis, qui publico munere ornati sunt, ne, quæ clandestina habeantur scripta, consilia, acta, patefaciant, neque beneficium accipiant annuum vel alio modo suis ipsorum commodis inserviant, cum in eo sunt, ut coram imperiis exteris mandata regia gerant. — Verbis quam maxime vagis, discriminis igitur plenis, crimen majestatis etiam in Jure Aulico (1687) αὐτοκράτορος illius Caroli XI exponitur, ubi (§ 7) hujus criminis reus declaratur: "then som pröfvas någon *acht, vilja och sinne haft* at stämpla och åstadkomma *ehvad som* Oss, Wårt Kongl. hus, Crona och Regemente til *fara, hinder och meen* lända torde, ändock theraf ey widare följa månde;

ware ock alle the under samma straf, som weta, see eller höra å gånge och tal wara, thet *Wår rätt, hög- och säkerhet röra och träffa kan,* och thet efter mackt och förmågo ey afwärja och försvara, eller i tid uppenbara".

Ex quibus omnibus perspicitur, certe quidem crimini, de quo jam agitur, successu temporis varias actiones fuisse subjectas [9]), frustra vero in legislatione patriæ nostræ Ante-Fridericiana accuratam quærimus hujus criminis determinationem.

§ 5.

Tractat Codex noster Fridericianus adhuc vigens, in cap. IV Tit. de Crimin.(MB.), *Proditionem,* cui in hoc cap. subjiciuntur omnes quidem cum perduellionis tum cri-

---

[9]) Commemorantur etiam in variis aliis Ordinationibus *proditio* et *proditores* judiciorumque in hoc crimine ordo (e. c. Regeringsformen 1634, § 9; K. Resol. 7 Mars 1636, K. Br. 7 Aug. 1699, K. Br. till Åbo HofR. 12 Julii 1710, K. Resol. d. 4 Sept. 1719, 18 Jan. 1720, K. Br. 2 Nov. 1719 etc. etc.), gravissima tamen sunt, de quibus supra mentionem fecimus, statuta. Speciatim vero heic observare licet: *K. B. dat. Nyköping d. 25 Oct. 1659 et cit. in "Flintbergs Lagfarenhets-Bibliothek, Stockh. 1803, 5 D. p. 96 ff";* ubi significantur varii *"gradus culpæ"* his verbis: "1:o Somlige hafva varit upphof och instigatores till förräderiet; 2:o Somlige hafva låtit bedraga sig in partes, associerat sig med sjelfve Rädelsförarene, med råd och cooperation sökt anslaget befordra; 3:o En del hafva haft kunskap derom, tegat och notorie samtyckt, men dock dertill icke coopererat; 4:o En part haft kunskap derom, stilla tegat och kunnat saken uppenbara, om de hade velat, men hafva det likväl intet gjort, och derföre hafva tacite samtyckt och approberat förräderiet; 5:o Somlige hafva vetat deraf, stilla tegat och sägas dock hafva afrådt och detesterat verket; 6:o Några hafva väl haft kunskap om saken och stilla tegat, dock vilja undskylla sig med defect af nödige betyg till sakens angifvande". Qua de caussa Rex præcipit, alios eorum poena capitis adaucta seu *qualificata,* ut ajunt, alios vero *simplici* esse afficiendos; de iis vero, quorum quidum culpa minima esse existimabatur, hæc præcipiuntur: "Men befinnas de icke hafva peccerat ex malitia, utan af pur enfaldighet, och för manquement af fullständiga skäl och vittnen intet hafva tordts saken uppenbara, så måste man remonstrera dem, att de, med sitt stillatigande uti en så grof och skadelig misshandling, hafva förbrutit deras trohets ed och pligt, med hvilken de hafva varit Oss förbundne, och fördenskull gifva dem en resultorisk dom, att de hafva *förverkat lifvet,* helst de, såväl som de andre, äro *rei læsæ majestatis,* efter ingen lag kan fria dem derifrån; dock likväl remittera dem lika som per modum recommendationis till Oss, och den nåd och moderation, som oss skulle behaga med dem göra, på det man icke måtte göra någre skadelige præjudicata, som framdeles kunde dragas in consequentiam, hvarigenom justitiens lopp skulle kunna turberas, och slika arga och grofva attentates emot Oss och vår Estat måtte mera styrkas, än förekommas och afvärjas". — *Obs.* Capitali supplicio proposito, quædam proditionis species in MELL. KgB. c. 15 et Chr. LL. ibid. c. 17 vetatur, eam dico: *"a vexillo regis aufugere"* (exercitum deserere); quod crimen pluribus etiam prohibetur constitutionibus, ut: Telge Stadga 1345 § 12; Upsala Stadga 1538, ubi hujus criminis rei, sicut et alii proditores, *infames* vocantur; et postea: Krigs-articl. 1683 Tit. 9, Sjö-articl. 1685 Tit. 24 etc. etc.

minis læsæ majestatis species, si contumeliosum in regem sermonem exceperis, de quo in cap. V agitur. Neque magis in hoc codice, quam in codice Christophoriano [1]), appellatio illa, e jure Romano sumta: *"Majestäts-brott"*, occurrit.

Proditionis duo sunt gradus: Alta proditio seu Perduellio *(Högförräderi)* et Proditio gradus secundi *(Statsförräderi)*.

Directa est *perduellio* adversus partem quandam eorum, quibus natura *civitatis* et quasi elementa continentur, ut is, qui jam exstitit, rerum ordo vi illata lacessatur. Civitatis quidem notio heic nobis eadem est, quæ *regni* in MB. c. 4; patet igitur intelligi civitatem *Suecanam*, qualis *revera* est, si territorium spectas, si familiam regnantem, si leges fundamentales.

Committitur perduellio, si quis civitatem adgrediatur eo consilio:

I) *Ut extero imperio Sueciam subjiciat vel regni partem aliquam possessionemve detrahat.*

Mentionem facit codex noster de hac proditionis specie in § 1. c. 4 MB. his verbis: "eller söker at förråda Rikets undersåtare, *land eller folk"*, eandem præterea comprehendens iis, quæ in eadem § generatim dicuntur: "eller warder tillvunnen at stempla något, antingen med inländsk eller utländsk man emot Riket til thes skada och förderf". — Ut legislator definiat, quænam singulæ sint actiones ad hoc crimen referendæ [2]), eo minus fieri potest, quo certius ab ipso auctoris *animo* pendeat, num huc referenda sit actio quædam, an minus. Quo efficitur, ut vel ad perduellionem, vel etiam ad proditionem gradus secundi, referri possint haud pauca, de quibus in cap. cit. agitur, delicta (e. c. "at föra afwog skiöld mot Riket,

---

[1]) Höghmälis-Balk capp 8, 9. Kon. B. cap. 9. Cfr. hujus diss. p. 26.

[2]) *Jus Bavar.* hanc proditionis speciem his verbis denotat: "Wenn ein Unterthan, um das Königreich einem fremden Staate einzuverleiben oder zu unterwerfen, oder um die hierauf gerichteten Plane einer auswärtigen Regierung zu begünstigen, ein Komplott angestiftet, eine Verbindung mit Auswärtigen geschlossen, oder einen Aufruhr erregt, oder in gleicher Absicht an solchen verrätherischen Verbindungen Antheil genommen hat; wenn ein Unterthan, zu einem wider das Königreich ausgebrochenen Kriege den feindlichen Staat ausdrücklich aufgefordert, oder diesem in feindseliger Absicht, Veranlassung, Vorwand oder Gelegenheit dazu gegeben hat". Tit. II, cap. I, art. 300, II. — *Cod. Jur. Saxon.*, hoc modo eandem exprimit: "Wer gegen die Selbständigkeit des Staats, um das ganze Königreich einem fremden Staate einzuverleiben, oder zu unterwerfen, oder auch nur, um einen Theil seines Gebietes von dem andern loszureissen, einen gewaltsamen Angriff unternimmt. Th. II, cap. 1, art. 81. Et sic alii plerique codd. jur. crim. novissimi.

at förråda Rikets Krigsmacht, Fästningar, Förrådshus, Skiep" etc.), prout ei, qui crimen commisit, in animo fuit, vel non fuit, regnum aut partem ipsius imperio extero subjicere. Fert secum rei natura, hoc auctoris consilium indubitatum et manifeste declaratum esse debere. Ejus est indolis hoc, de quo jam agitur, crimen, ut non facile ab uno, sed a pluribus inter se invicem conjuratis committi possit, nam si unum hujus criminis auctorem nobis fingimus, is certe, ut quod sibi proposuit adsequatur, cum hostibus civitatis consilium inierit [3]) necesse est.

In § 18 Formæ Regiminis (R. F.) d. 6 Junii 1809 prohibetur, ne vel levissima pars regni abalienatione voluntaria huic detrahatur. Fieri vero posse, ut ejusmodi abalienatio ipsa vi necessitatis extorqueatur, ne ponunt quidem leges nostræ fundamentales; nam hæc necessitas vix fingi potest, nisi antecesserit bellum calamitosum, et "inter arma silent leges" [4]). De unica possessione Sueciæ transmarina, insulam dico parvulam Indiæ Occidentalis *S:t Barthelemy,* quæri potest, num valeant quæ in § R. F. cit. prohibentur. Cujus quæstionis facilis est et promta responsio, nam Decreto comitiali a:i 1812 excepta est hæc possessio forma regiminis rei Suecanæ, administratione et ærario publico. Unde sequitur, ut minime sit prohibitum, quominus hæc insula ab imperio Suecano venditione aut permutatione abalienetur. Si vero quis proponeret aliam quandam imperii partem, rebus Suecanis subjectam, esse abalienandam, hoc quidem consilium Legibus certe Fundamentalibus contrarium esset; nec tamen hoc ipso facto conatus perduellionis reus evaderet, quoniam indoles hujus criminis in eo præcipue cernitur, quod *violenta* sit illa, de qua quæritur, abalienatio.

II) *A. Ut Regem vita vel libertate privet aut a throno detrudat.*

Admunerantur *crimini læsæ majestatis,* sensu strictiori sumto, eæ in regem violationes, quibus non insit ejusmodi, quod jam nominavimus consilium, nisi sibi adjunctam habent speciem quandam perduellionis, e. c. si quis minis, aliave illata vi, ad partem regni abalienandam, vel evertendam regiminis formam, regem cogere vellet.

---

[3]) Quo spectant §:i cit. hæc quidem verba: "*stempla* något antingen med inländsk eller utländsk man".

[4]) Cfr. librum cit.: "*Sveriges Statsförfattnings-rätt*", Stockholm 1844, 1 D. 2 Afd. p. 3.

In MB. IV: 1 proditionis, de qua jam agitur, species designatur iis, quæ generatim statuta legimus: "giör *någon wåldsgerning* å Rikets Konung och Herra — — eller warder tillvunnen at stempla *något* med inländsk eller utländsk man, emot Konungen, til thes skada och förderf".

Cum princeps sit civitatis, sicut caput corporis, pars necessaria, per se patet, ad salutem vimque civitatis etiam principis salutem necessario requiri. Quocirca omnes in vitam regis et libertatem violationes ad *perduellionem*, non vero ad crimen læsæ majestatis sensu strictiori, sunt referendæ.

Non sumus nescii, dici a nonnullis [5]), ne cædem quidem Regis perduellionis nomine necessario esse significandam. Nam cum in civitate, quam vocant, monarchica, certis plerumque legibus definitum sit, quis, sublato rege, in regnum succedat, ita ut novus statim rex nullo interjecto tempore in thronum adscendat, in ea, inquiunt (si jus principis respicias) *princeps numquam moritur*, eamque ob caussam, formam civitatis atque salutem si spectas, non magis perniciosum est, si vi oppressus rex tollatur, quam si ex communi mortalium sorte naturæ debitum reddat. Utrum igitur crimen, de quo quæritur, perduellio habendum sit, an crimen læs. maj. sensu strictiori, id pendere existimant ex *animo* ejus, qui crimen commisit, prout aut rerum novandarum studio, aut privato in personam regis odio, ductus fuerit. Hæc sententia levis et perversa nobis videtur. Nam quamvis concesserimus, fieri aliquando posse, ut cædes alicujus regis nullum damnum inferat civitati (quod interdum de ipsius legis fundamentalis abrogatione dici potest), tamen in contrariam partem multa possunt afferri. Primum igitur salus civitatis Regis *cujusdam* prudentia et virtute sæpius continetur, ita ut etiam morte ejus simplici maximum adferatur reipublicæ detrimentum, deinde quamvis certus in regnum succedendi constitutus sit ordo, fieri tamen potest, ut nullus adsit successor eo ipso tempore, quo rex morte afficiatur; tum vero magnitudo criminis æstimanda est non solum ex periculo, quod civitas occiso rege subire possit, quam ex perfido et summe hostili peccantis civis animo in eum, qui, summum tenens civitatis im-

---

5) E. c. *Henke*, Handbuch des Criminal-Rechts und der Criminal-Politik, III Th., Berlin 1830, p. 411. Cfr. *Martin*, Lehrbuch, 2 Aufl., Heidelberg 1829, pag. 489: "an der Persönlichkeit des Regenten *als solchen*".

perium, hanc certe cum ipsa civitate similitudinem habeat, ut, cum de vita agitur et libertate, privata ejus jura atque privata qualitas [6]) a publicis separari non possint, eum dico, cujus *majestatem sancte coli* jubet Lex fundamentalis patriæ nostræ (R. F. 3 §), et ad quem vita et sanguine defendendum omnes cives jurejurando obstricti sunt. — Quænam fuerit hostilis animi *caussa*, non magis heic quæritur, quam in ceteris perduellionis generibus.

B. *Ut Principem successorem aliumve throni heredem vita privet vel eorum aliquem a successione regni excludat.*

Comprehenditur hoc crimen iis, quæ in MB. IV: 1 generatim statuuntur: *"gör någon wåldsgerning å theras (Konungens och Drottningens) barn"*; præcipiturque in § 1 Const:is R. d. 10 Dec. 1812 nondum abrogata: "Söker någor, af hvad värdighet, stånd eller vilkor han vara må, eller låter sig bruka, att uppenbarligen eller genom hemlig stämpling, *på hvilket sätt som hälst,* rubba, häfva eller förändra den af Kongl. Maj:t och Rikets Ständer, den 26 September 1810, antagne och besvurne Successions-Ordning, straffes, enligt 4 Cap. Missgernings-Balken, såsom Rikets förrädare och miste lif, ära och gods."

Per se patet, cum *de liberis* regis et reginæ [7]) mentionem facit loc. MB. jam laudatus, hæc non nisi exempli caussa allata esse, et heic, de principe cum quæritur regio, intelligi unumquemque, cui competit jus succedendi, principem, etiamsi alio cognationis vinculo cum rege regnante esset conjunctus, vel etiam si non hereditarius, sed ligitime *electus* princeps successor esset.

Optimo jure hoc, quod quærimus, crimen pro *perduellione* habetur, non eam quidem ob caussam, quod tam intime, quam ipse regnans cum civitate jam coaluit princeps hereditarius, sed partim quoniam suo quidem ordine regnaturus erit, partim quoniam non stabilita in regnum successione, firma et stabilis, quæ ab uno regitur civitas (monarchica) esse non possit, si quidem, turbato hoc ordine, maxi-

---

[6]) Quod habent plures constitutiones, nostra ætate priores, de illato damno Regiæ Majestati, *utpote regi Sueciæ* (cfr. pag. 28), non ita interpretari licet, quasi publica regis qualitas a privata posset sejungi, de violationibus cum quæritur *vitæ* ipsius vel *libertati* illatis. — *Obs.* Si quis id committeret, ut *rationis usu* in perpetuum rex privaretur, hoc quidem crimen ejusdem certe gravitatis habendum esset, ac si libertatem ipsi vel thronum eripuisset. Cfr. § 92 R. F.

[7]) "Thes (Konungens) Kongliga Hus" RB. VIII: 2. "Wårt Kongl. Hus", KyrkoL. c. 7, § 3. — *Obs.* Ad crim. læs. maj. referenda omnis in *Reginam, Reginam viduam Principemque regiam* facta violentia, cui in c. 4 MB. eadem, quæ *perduellioni* irrogata est poena.

mo in discrimine versetur. Promisit præterea subditorum quisque eum, cui competit jus thronum patriæ herreditate occupandi, vita et sanguine defendere: quem quidem regni successorem, quandocumque placuerit omnium rerum moderatori, ut *regem* hic ipse subditus veneraturus est.

Valent hæc de principe hereditario vel interficiendo vel a successione in regnum excludendo. Pro crim. læs. maj. habetur omnis alia in ipsum facta violentia. Si quis e. c. ad tempus *libertate* eum privaverit, is quidem non proditionem, sed crimen læsæ majestatis commisisse declaratur. Alia est ratio, ut antea vidimus, de rege cum quæritur, qui quidem ita violatus a munere regio sustinendo plane impediatur.

III) *Ut aliquam legum regni fundamentalium violenter mutet vel tollat.*

De quo quidem crimine agit MB. IV: 8, cujus hæc sunt verba: "Söker någor, eller låter sig bruka, at uppenbarliga, eller genom hemlig stempling, införa, uphjelpa, eller befordra en oinskränkt envålds regering i Riket, eller annat regeringssätt, än thet *Ständerne* i Riket faststäldt hafva." Impressa sunt huic § vestigia ætatis, qua fuit constituta. Ruinis superstructæ erant leges, quæ tunc valebant, fundamentales (Regeringsformen d. 2 Maji 1720, Riksdags-Ordningen d. 17 Oct. 1723), ruinis inquam indivisæ illius potestatis morte Caroli XII eversæ, et ad hoc maxime nitebantur Ordines Regni, ut, quantum possent, regiam imminuerent potestatem. Qui iidem sibi solis potestatem sumserant leges fundamentales commutandi [8]). In § igitur jam antea a nobis allata, ea commemoratur regiminis forma, quam *Ordines Regni (Ständerna)*, non quam Rex et Ordines Regni *(Konung och Ständer)* conjunctim constituerunt [9]). Quam quidem § si ad hodiernam reipublicæ disciplinam accomodamus, in ea prohibetur, ne quis illud moliatur, ut legum aliquam regni fundamentalium majori minorive ex parte *violenter* commutet vel tollat. Docet § 85 R. F., leges fundamentales patriæ nostræ haberi: *Regerings-Formen* d.

---

[8]) Cfr. R. O. anni 1723, § 20, et Friderici regis *Konungaförsäkran* d. 22 Martii 1720. Videsis Sveriges Statsförfattningsrätt I: 233, 256.

[9]) In rogatione de codice nostro Fridericiano lata (Lag-Commissionens Förslag till Sveriges Rikes Lag af år 1734) §, de qua jam agitur, hæc habet verba: "Söker någor uppenbarliga eller genom hemlig Stämpling at befordra Konungen til oinskränkt Regering och Envälde, eller tilskynda Konungen *större* Macht, än then Riksens Ständer faststält hafwa; straffes såsom Rikets Förrädare, och miste Lif, Ära och Gods".

6 Junii 1809 (R. F.), *Riksdags-Ordningen* d. 10 Februarii 1810 (R. O.), *Successions-Ordningen* d. 26 Sept. 1810 (Succ. O.), et *Tryckfrihets-Förordningen* d. 16 Julii 1812 (Tr. F.). Quo quidem ordine commutari possint hæ leges fundamentales, in §§ 56 et 81 R. F., cum §§ 29 et 75 R. O. collatis, sancitum invenimus. Si quis hunc ordinem non nisi placide sedateque transgredi conetur (e. c. postulando, *iisdem, quibus* proposita esset mutatio quædam legis fundamentalis, *comitiis*, hanc ipsam mutationem pro lege esse habendam; cfr. § 81 R. F.) non tamen ad *perduellionem* referenda esset ejusmodi legis violatio, quoniam hujus quidem criminis proprium est, *vim* esse adhibitam [10]). Si vero sédate etiam proponeretur ea *Ord. Succ.* commutatio, qua principi hereditario detrahendum esset jus in thronum succedendi, is, qui hoc proponeret, criminis perduellionis reus esset, ex iis, quæ supra p. 33 a nobis allata sunt. Cfr. K. F. d. 10 Dec. 1812.

Legem de conjunctione cum Suecia Norvegiæ si spectamus = *Riks-Acten* (R. A.) d. 6 Aug. 1815, hæc ipsa in Norvegia quidem, non vero in Suecia, fundamentalis habetur [1]). Quæri igitur potest, num perduellis habeatur qui civis Suecanus, et in ipsa quidem Suecia [2]), hanc legem (R. A.) violenter vel evertere vel saltim commutare conetur. Cui quidem quæstioni adfirmando respondere non dubitamus, siquidem eodem rege gaudeat utrumque imperium, et res eorum communis agitur, cum hostis externus regnum alterutrum adgrediatur. Optimo igitur jure ad ea, quæ *damnum regni* (Sueciæ) *et perniciem* appellat IV: 1 MB., referatur: si quis hanc conjunctionem *violenter* dissolvere conetur. Qua eadem de caussa perduellionem com-

---

[10]) In "Utlåtande i anledning af Anmärkningar vid Förslaget till Allmän Criminal-Lag, af Lag-Comitéen", Stockh. 1840, hæc occurrunt (p. 108): "Beträffande åter frågan om nödvändigheten att stadga straff ej allenast å *våldsamma* företag till grundlagarnes upphäfvande eller ändrande, utan ock för de fall, då grundlagarnes föreskrifter om sättet för grundlagsfrågors behandling öfverträdas, skulle, efter Committéens tanka, så beskaffade straffbestämmelser blifva antingen *orättvisa* eller *onyttiga*. De blefvo rättvisa, emedan motioner om ändringar kunna i olaglig form väckas af okunnighet eller missförstånd om lagarnes föreskrifter. *Onyttiga* åter voro de, om förändringarne i grundlagarna, utan formers iakttagande *verkligen blifvit beslutna*".

[1]) Cfr. R. A. § 12 et R. F. § 85.

[2]) Si *in territorio Norvegiæ* tale crimen a cive Suecano committitur, ea valent quæ in K. F. d. 1 Junii 1819 statuuntur: "Förbrytelser af Svenske Undersåtare inom Norge dömas af behörig Domstol i Norge efter Norsk lag, och Norske Undersåtares förbrytelser här i Sverige dömas af behörig Domstol i Sverige efter Svensk Lag". Cfr. Cod. jur. crim. Norveg. cap. 1. § 2 et cap. 9. § 1.

mittit civis Suecanus, qui aliam partem legis fundamentalis Norvegiæ violenter commutare vel plane tollere studeat, vel etiam hoc ipsum regnum exteræ potestati subjicere, vel denique partem ipsi possessionemve detrahere. Quæ etiam in rogatione de novo cod. juris crimin. Suec. (Förslag till Allmän Criminal-Lag, ed. I, Stockh. 1832, ed. II. Stockh. 1839; Förslag till Straff-Balk, Stockh. 1844, cap. 9) expresse proponuntur. Ex jure Norveg. crim., etiam in Sueciam committi potest perduellio; nulla tamen in hoc mentio fit de commutatione *legum Sueciæ fundamentalium* violenter facta, sed tantummodo de commutatione ejus, quæ inter utrumque regnum intercedit, conjunctionis.

De senatore regio, qui ad evertendam legem quandam fundamentalem, sociam jungit operam, cfr. Ansvarighetslag för StatsRådet d. 10 Febr. 1810.

De *Subjecto* proditionis observatum volumus, notioni hujus ipsius criminis inesse læsum *subditi* officium, nam qui *proditionem* committit, fidelitate erga eum, quem prodit, obstrictus sit, necesse est; unde sequitur, hoc crimen, sensu a nobis jam indicato sumtum, non nisi ab iis, qui perpetuo subditi sunt civitati [3]), committi posse; quæ vero omnia minime impediunt quominus jus maneat civitatis certum et indubitatum, secundum suas ipsius de perduellione leges, etiam peregrinum [3*]) puniendi, si crimen quoddam in hanc ipsam civitatem commiserit, perduellioni subjectum, quamvis *appellatio* proditionis *(Högförräderi)*, de peregrino cum agitur, commode adhiberi non possit. Nulla est ratio sufficiens, cur de iis, quæ de jure civitatis puniendi generatim statuta sunt, omnium gravissimum crimen excipiamus. Cum hoc secum habeat ipsa perduellionis indoles, ut qui hanc committit, hostilem in civitatem, ipsius superiorem vel regiminis formam, gerat animum, hic vero animus species sit *doli*, de perduellione, quæ sola committatur *culpa*, quæri non poterit.

Committitur plerumque perduellio non ab uno, sed a pluribus inter se conjunctis, partim societate cum *imperio extero* ineunda de vi hostili, patriæ inferenda, partim *seditione*. Observandum est, seditionem fieri posse aut animo perfidioso (*proditorio*, ut ajunt), e. gr. ut violenter tollatur ipsa constitutio regni fundamentalis, — ut interficatur imperans etc.; aut eo tantummodo consilio, ut, illata vi,

---

[3]) vel etiam ab iis, qui ad tempus in ministerio sunt civitatis. — Vix observandum, *Regem* perduellionem committere non posse (R. F. 3 §. Sv. Statsf.rätt 1 D. 2 Afd. p. 45), sed omnia Regiæ domus membra regi subditos etiam hoc respectu esse habenda.

[3*]) Constat, nuntios exterarum civitatum ex jure gentium esse æstimandos.

iis, quæ a rege vel a magistratu quodam mandata sunt, exsequendis resistatur, et hoc quidem sensu seditio ut peculiare crimen in MB. 6 cap. describitur, ad eam, quam secundo ordine posuimus, delictorum classem publicorum pertinens. Tertia, qua committi potest perduellio via, *conjurationis* [4]) quidem est, cujus notioni inest: inter plures (vel saltim duos) de crimine peragendo ita convenisse, ut aliquid patrent eorum, quæ perduellioni subjecta sunt, etiam si quibus malis artibus id, quod sibi proposuerint, efficiatur, inter conjuratos nondum convenerit. Appellationibus: "stempla", "hemlig stempling", in §§ 1 et 8 cap. 4 MB. et in § 1 Const:is Reg. d. 10 Dec. 1812, ejusmodi significatur conjuratio, quamvis, ex genio linguæ, voc. *"stempla"* latiorem habeat sensum, latino: *machinari* fere æqualem [4*]).

Quæstio est diu agitata, an *conatus* perduellionis eadem, qua delictum consummatum, afficiendus sit poena. Quod affirmant plures JC:ti cum pristini tum hodierni, quorum haud pauci in hac re ad jus provocant Romanum. Ex sententia Cl. *Grolman* [5]) non nisi in *conatum* evertendæ civitatis exerceri potest ipsius jus puniendi, quia si revera evertatur civitas, ipsa rei secum fert natura, ut impunis evadat perduellis. Cl. *Henke* [6]) e contrario, refutata Grolmanni sententia, ipse affert, perduellionem esse *proditionis* speciem, cujus ad indolem (seu *corpus*, ut ajunt, *delicti)* pertinet quidem *fidelitatis* violatio hostibus proditi opem ferendo, non vero damnum revera ei illatum. Quam igitur quisque civis sui ipsius civitati debet fidelitatem, ea unaquaque violatur actione, *hostili animo* in civitatem suscepta, nullo in ceterum habito respectu ad qualitatem actionis vel ad damnum civitatis inde profectum. Quænam sint quæ de conatu, generatim spectato, speciatimque de conatu perduellionis, statuat jus Romanum [7]), jam supra attulimus. De sententia *Grol-*

---

[4]) *Consilium, factio* in Jure Rom. Fr. 16 pr. D. de poenis (48: 19); Cfr. 48: 4, § 1. Const. 5 pr. Cod. ad leg. Jul. maj. (9: 8).

[4*]) In "Nya Criminal-Lagförslaget" vocab. *"stämpling"* determinatam, eamqne *conjurationis,* habet significationem. Vid. cap. 5, § 6.

[5]) Grundsätze der Criminalrechtswissenschaft, 4:te Aufl., Giessen 1825, § 33o.

[6]) l. c. III: p. 415.

[7]) Ad confirmandam sententiam de eadem a jure Romano vel remotissimo perduellionis conatui, qua delicto consummato, constituta poena, vulgo adferuntur verba const:is 5 Cod. ad L. Jul. maj: "Eadem severitate *voluntatem* sceleris, qua effectum, puniri jura voluerunt"; itemque: *"qui cogitaverit",* Qui vero ita ratiocinantur, non perpendunt, ubicumque de *voluntate sceleris* mentionem facit lex Romana, vel *dolum* facto exæquat, hoc fieri tacita cum adprobatione juris illius normæ: *Poenam cogitationis nemo patitur;* et quæ vulgo afferuntur verba const. 5 cit., non nisi ipsam societatem conjurationis spectare. Cfr. *Zachariä* l. c. in Archiv d. Crim. R. N. F., 1838.

manni jure observatum fuit, partim fieri posse, ut restituatur, etsi pro tempore eversus fuerit, turbatus ordo civitatis (cujus quidem restitutionis exempla historia habet non pauca), quod si evenerit, suspensam illam potestatem poenalem jura sibi debita recuperare posse; partim laudatam sententiam hoc tantummodo probare, ad consummationem ejus, quod quærimus crimen, non requiri debere, ut is crimen consequatur exitus, quem sibi proposuit criminis auctor. De sententia vero Celeb. *Henkii* observandum, partim non omnes perduellionis species, hostibus proditi opem ferendo, violatam fidelitatem involvere, partim nullam adferri posse rationem sufficientem, cur proditio præcipue hoc sibi proprium habeat, ut nihil referat, qualis sit ipsa actio, qua commissum fuerit hoc crimen. Eadem de caussa, *fraudis* et *perjurii* omnes quidem in puniendo gradus essent rejiciendi, quia fraus semper fraus, perjurium semper perjurium habendum sit. Vere quidem dicitur, non ex majore vel minore, quod prodito inflictum sit *damnum*, pendere ipsam criminis gravitatem, male vero inde colligit *Henke*, inter conatum delictumque consummatum omnem heic differentiam evanescere, perinde ac si a scopo sceleris propius remotiusve abesse non possit ipsa actio, nec legislatoris sit, majus minusve, quod prodito immineat, *periculum* respicere [8]). Cum igitur ponamus, proditionis æque ac aliorum scelerum poenam majore minoreve eorum gravitate esse metiendam, et a crimine consummato ipsum conatum distingui et posse et debere, quomodo hæc difiniatur differentia, reliquum est ut ostendamus. Duo heic vitanda sunt vitia, unum ne putemus, crimen consummatum non fuisse, nisi quod ad eum, qui in consilio erat, exitum pervenerit; e. c. si quis nullam putet perduellionem esse, nisi partem aliquam civitatis revera destruxerit criminis auctor. Alterum est vitium, quod quidam remotissimos quoque conatus consummati criminis nomine appellant. *Zachariæ,* viro cl., perfecta esse perduellio videtur, ut ipsius utar verbis: "wenn die Handling diejenige Eigenschaft erlangt hat, welche als der wahre Grundcharakter und das eigentliche Wesen des Verbrechens betrachtet werden muss" [9]), quam quidem criminis naturam positam esse censet in violata subditi fide et in tollendo illo vinculo, quo civis cum civitate jungitur, quo quidem sublato vinculo, civis eo pervenit, ut hostis evadat patriæ. Violatur autem fides, subdito digna, si quis contra *objecta,* ut ita dicam, perduellionis,

---

8) Cfr. *Zachariä*, ibid.

9) Ibid.

non solum aliquid *præparet,* sed hæc ipsa objecta revera *adgrediatur*. Hæc actio, hic tamquam impetus perduellionem perficit jam inchoatam [10]). Etiam VV. CC. *Bauer, Abegg, Escher* [1]) et alii ad consummandam perduellionem opus esse putant impetu in civitatem ejusque partes facto [2]). *Cl. Mittermaier* [3]) eandem probare videtur sententiam, dicens: "Vollendet ist der Hochverrath, wenn der Verbrecher von seiner Seite Alles gethan, was zu den *Unternehmen* der Haupthandlung, durch welche der Hochverrath ausgeführt werden soll, erforderlich ist." In eandem sententiam supra disputavimus, propriam hujus criminis notam in *impetu* illo ponentes, quem quis in civitatem *eo consilio* fecerit, ut e. c. leges ejus fundamentales violenter evertat. Eo ipso igitur momento, quo erupit seditio, animo perfidioso *(proditorio)* conflata, — quo proditor vim infert principi, ut cogat illum ad novam rei publicæ formam subscripto nomine firmandam, — quo in sanctam principis personam cædis telum emissum est, patrata est perduellio, etiamsi parricida a crimine ulterius proferendo mox sit impeditus. Quod in ceteris delictis conatus proximus vocatur, id heic ipsum corpus delicti continet, et quod in illis conatus habetur remotus, in hoc crimine conatus est proximus. Quoniam perduellio crimen est atrocissimum et civitati maxime perniciosum, quædam actiones, ad hoc scelus *præparandum* susceptæ, poena afficiuntur. Si quis consilia, quæ ceperit, scelerata nondum *agendo* patefecerit, nulla sane constitui potest poena (etiamsi mentis sensa in chartam conjecerit, cum nemine communicatam); si vero in *agendo* patefactum sit consilium, ea indoles huic delicto est propria, ut ea jam actio poena affici debeat, qua quis animum ita ostendit, ut de proditione, quam sibi proposuerit, nullum ulterius existat dubium [4]).

Ex jure nostro *conatus* perduellionis eadem, qua delictum consummatum, afficitur *poena*. Ita quidem distinguit § 1 cap. 4 MB, ut criminis consummati poe-

---

[10]) Cfr. Zachariä l. c.

[1]) *A. Bauer*, Lehrbuch des Strafrechtes; 2 Ausg., Göttingen 1833, p. 489. *J. F. H. Abegg* Lehrbuch der Strafrechts-Wissenschaft, Neustadt a. d. Orla 1836, p. 556. *Escher* l. c. p. 242.

[2]) Non autem necessario *perfecto*, ut definire videtur *Kleinschrodius* l. cit. p. 57.

[3]) l. c. p. 221. Anmerkungen zu *Feuerbachs* Lehrb. d. gem. in Deutschl. gült. peinl. Rechts, 13 Ausg. Giessen 1840, p. 252. Ueber den Unterschied vollendeter und versuchter Verbrechen und über die Grade des Versuchs, in N. Arch. d. Crim. R. 4 B. p. 9.

[4]) E. c. si quis alios exhortatur ad conjurationem animo perfidioso faciendam.

nam his verbis constituat: "ipse (auctor) ac facinoris consiliique participes dextram perdant, feriantur securi, ac palis imponantur, bonaque eorum tam mobilia quam immobilia Fisco addicantur", — et in fine hanc faciat limitationem: "si noxa secuta non sit, (gitta the ej skada göra), nihilominus vitam, famam et bona perdant". Sublata vero ex Const. Reg. d. 10 Junii 1841 ea poenæ capitalis qualificatione, ut ajunt, quæ in amputanda manu et truncato corpore palis imponendo consistebat, hodie et delict. consumm. et conatus privatione vitæ, famæ et bonorum vindicantur. Conatus perduellionis proximi et remoti nullum habetur discrimen. *Conjurationi,* animo perfidioso factae (§ 1), eadem, quæ delicto cons., poena est irrogata. Quod idem valet: 1. De *Auctoribus* sic dictis *intellectualibus* = "styrcker eller främjer med bref, råd", 2 §; "med bref, råd eller yttranden", K. F. d. 10 Dec. 1812. Eadem sane est ratio, sive manu sive typis exaratæ sint litteræ illæ ("bref"), quamvis non speciatim de excitatione perduellionis, sed tantummodo generatim de conjurationis seditionisque excitatione ("uppmaning till myteri och uppror") mentionem faciat § 3 Trf. F., ubi citatur cap. 6 MB. — 2. De *Sociis* ("främjer med hjelp", 2 §). — 3. De *consciis et fautoribus ante factum* ("wet man förrädeliga stemplingar å färde wara, och them ej afwärjer, så mycket han kan och förmår, eller i tid ej upptäcker", 3 §). Fautores *post* factum in hoc. cap. non nominantur, qui igitur secundum §§ 3 et 4 cap. 61 MB. sunt æstimandi. Agit § 4 de eo, qui "machinationes perfidiosas sibi cognitas habet, sed probationes ejusmodi non esse credit, quibus facinoris aut doli reus coargui possit"; præterea præcipitur cautio, quam in fungendo indicandi officio debet adhibere, statuiturque, eum, sive hoc negligat, sive personam nomine designet nec convincere valeat, pro rei statu esse puniendum [5]).

---

[5]) In rogatione de Cod. Frider. lata (ed. Stockh. 1841) hæc ipsa § eandem, quam § 3, neglecti indicii statuebat poenam. In qua eadem § hæc etiam occurrebant: "Kan then, som angifven är, icke öfvertygas, ware han äfven fri, som gifvit thet an utan svek och arghet". Quod vero, allatis quæ pag. ejud. rogat. 125 legantur rationibus, mutatum fuit. — Per se patet, agere § 3 de eo quidem casu, quo, *quamvis probatio non desit firma,* non tamen indicatur machinatio perfidiosa ejusque auctor. — Quid observandum sit sacerdoti, confessione clandestina perduellionem cognoscenti, statuit cap. 7 Jur. Eccl. 1686. Poenæ exemtio, quam sceleris socios indicanti concedit § ejusdem cap. 3:a, abrogata est Const:e R. d. 20 Jan. 1779 (ad RB. 17: 9).

Processum judicii si spectas, observandum, Regii esse Dicasterii de crimine perduellionis inquirere (quoad fieri potest) et dijudicare, non neglecto solito procedendi ordine, unde sequitur, delictum *exceptum* minime appellari posse hoc crimen [6]). —

Ita definito perduellionis ambitu, quænam crimina *proditionis* sint *gradus secundi* (*Stats-förräderi*, cfr. pag. 30) facile intelligitur [7]): ea dico delicta a lege vindicata, quibus, violato subditi officio, libertas civitatis et securitas periclitetur, quæ vero non definite *eo* commissa sunt *consilio*, quod ad perduellionis vim et naturam antea retulimus. De his delictis non opus est ut *uberius* disseramus.

Occurrunt in § 1 c. 4 MB. tria hæc genera, quibus singulis eadem, quæ perduellioni, definitur poena: 1. Si quis arma adversus regnum ferat hostilia. Cfr. Krigs-Art. cap. 5. — 2. Si quis illud moliatur, ut provincias regni, populum, subditos, exercitus, munimenta, armamentaria, naves, prodat (hosti tradat); additur heic: "vel aliud hujusmodi", quibus quidem verbis, ut facile perspicitur, comprehenduntur ea, quibus robori civitatis detrahatur, hostili vero incrementum fiat, e. c. pecunia ad belli usus, cellae frumentariae, transitus, præsidia etc., quod idem pari ratione æstimandum, si quis animo proditorio simile quoddam vel plane perdiderit vel saltim corruperit. *Obs.* Declaratur in Krigs-Art. cap. 3 § 6 et 7: quo quidem casu, si summa necessitas urgeat, ei, qui præest, liceat munimentum, arcem vel navem, hosti tradere, et quænam sit antea habenda deliberatio. — 3. Si quis contra regem et regnum in detrimentum ac exitium eorum *aliquid* machinetur ("stempla *något*, antingen med inländsk eller utländsk man, emot Konungen och riket, til theras skada och förderf"). Refert verba illa juris romani: "aliquid moliri contra imperatorem vel rempublicam", interdictum hoc nullis limitibus circumscriptum ideoque lubricum, siquidem non minus crimina perduellioni subjecta (ut antea p. 30, 32 vidimus), quam crimina læsæ maj. sensu strictiori, eaque, de quibus jam quæritur, proditionis delicta, complecti possit. Ad hoc, de quo proxime diximus genere, commode referre licet: si quis exteros incitat, ut bellum in regnum sucipiant; si quis milites alliciat, ut transeant ad hostem, aut aliam quandam committant perfidiam; si quis animo proditorio impediat, ne milites adversus hostes regni adhibeantur; si quis in commodum exte-

---

[6]) RB. VIII: 2, mom. 6. Cfr. K. Br. d. 13 Jun. 1811.

[7]) In RB. VIII: 2 sigillatim enumerantur: *"Stemplingar och förgripelser emot Konungen sjelf och thes Kongliga Hus eller Rikets frihet"* et *"landsförräderi; rådslag med fienden"*.

rorum partes suscipiat speculatoris, aut demum si quis necessitatibus belli aut alio quocumque modo hostes adjuvet [8]). — In cap. MB. laudato hæc prætera obveniunt crimina, quæ aut revera proditionem complectantur, aut saltem proditionis justam moveant suspicionem: 4. Si quis, cui credita sunt consulta ac placita regis regnique, iis videlicet in negotiis, ex quibus regni commodum ac securitas pendet, hæc ipsa in vulgus indicat, vel, quæ occulta esse debent scripta, absque venia et permissu edat. Huic quoque poena constituta est perduellionis. Difficile quidem est accurate definire, quinam illi sint, quibus credita habeantur consulta ac placita regis regnique. Conscii enim non ii solum sunt, quorum munus id secum ferat, ut aut socii sint ipsius deliberationis, aut operam præstent in decreto literis consignando, sed etiam alii sunt complures, quibus, præcipue cum incidunt belli tempora, hæc consulta ac placita credantur. Ut in unico jam subsistamus exemplo, interdum fieri potest, ut civitatis maxime intersit, ne publice enuntietur, utrum classis instructa et ornata navigatura sit in mare Balticum an in mare Mediterraneum; reus est poenæ in hac § constitutæ dux quicumque navalis, aut e. c. qui conduxit necessitates belli comparandas, (quibus quidem tale consilium non potuit non concredi), si, quod fidei illius est commissum, in medium proferat. In 3 p. 4, mom. 3 § TrfF. ea enumerata inveniuntur protocolla, quæ non licet typis excusa publice edere, nisi venia speciatim fuerit impetrata, et constituitur poena, qua afficiendus est tum is, cujus est ex officio, muneri debito, hæc scripta occulta habere, qui vero, hoc violato officio, eadem prelo subjiciat (ubi delegatur ad Jus Commune), *tum alius quicumque hujus delicti reus.* — 5. Si quis ab extraneo principe munera et beneficia accipiat; quod fieri potest aut eo consilio, ut contra regis regnique utilitatem commoda ejus promoveat (reus privatione vitæ ac beneficii accepti punitur); aut sine tali consilio, quo quidem casu ejus est vel ante, vel statim post beneficium acceptum, id notum facere et regis veniam impetrare; quod nisi fiat, in eam incurrit poenam, ut munere, honore et beneficiis acceptis privetur (§ 6). In additamento hujus § d. 16 Julii 1812 poena indicitur civi Suecano, qui, venia regis non impetrata, ministerium sibi ab imperio extero adsignatum accipiat; ubi de militibus, nautis, operariis in metallis et officinis, de opificibus et famulis, ad speciales delegatur constitutiones [9]). — 6. Si quis

---

[8]) Cfr. e. c. Nya Criminal-Lagförslaget cap. 9 § 9.

[9]) Constitutiones huc pertinentes allatas invenies in "Ny Lagsamling, 3 H., Örebro 1839 p. 25 ff.",

subditus munere legati principis exteri fungatur, vel extero legato in negotiis, ipsi mandatis, operam ferat. Mulctatur reus exilio, et, quibus gaudet subditus Suecanus, jura ac prærogativas amittit. (7 §). Cfr. K. Br. d. 7 Oct. 1818. Hoc crimen ejus est indolis, ut justam moveat proditionis suspicionem. — Ulterius huc referenda quorum in §§ 4 et 5 cap 6 MB. mentio fit delicta, quæ igitur jam ordine observanda: 7. Si quis, absque prævio regis ex consilio Senatorum ("med Råds råde") jussu, milites jubeat arma capere vel etiam milites, missione facta, retineat, ut adversus securitatem regni et libertatem incolarum exitiales exsequatur machinationes [10]). Cui ne quis obsequium præstet, præcipitur; reus vero vita, honore et bonis privatur. Spectant verba illa: *"med Råds råde"* ad § 6 Formæ Reg. a:i 1720, ubi vetatur, ne absque consensu Ordinum Regni bellum rex faciat, permittitur vero ex consilio Senatorum ("med Råds råde") vim hostiliter illatam, quoad fieri possit, deprimere. Ex § 15 ejusd. Reg. Form. non nisi duo in Senatu suffragia regi erant concessa una cum voto, ut ajunt, decisivo, si se invicem suffragia æquipararent. Ex legibus vero fundamentalibus hodiernis (R. F. § 13) penes regem est, ut, præsente rei bellicæ administro (§ 15), omnes res ab ipso, summo exercitus duce, pendentes ("commandomål" § 7) solus decidat; et si de inferendo bello vel pace facienda agatur, regis in potestate situm est, cognita Senatus sententia, quæ regno maxime prodesse existimet decernere et exsequi (§ 13). — 7. Si quis fabulas et falsos rumores dolo malo disseminet, quibus periclitetur regni securitas, vel efficiatur ut exardescat tumultus ac turba. Cujus quidem criminis reum virgis cædendum vel exilio mulctandum, prout sese habent res circumstantes, lege statuitur (§ 5). Observanda hoc loco quæ habet TrfF. in § 3 mom. 9 de conviciis, quæ in imperia extera typis sunt exscripta etc., et in mom. 10 de civitatis, quæ cum exteris tractantur, pactionibus prelo non subjiciendis etc. — 8. Ad hæc tandem delicta referenda sunt quæ vetantur in §. 110. R. F., coll. c. § 77 R. O. his verbis: "Skulle någon enskild man eller någon corps, militaire eller civil, eller ock någon menighet, af hvad namn den vara må, antingen af egen drift, eller med anledning

---

et in "Handbok i Svenska Lagfarenheten, innehållande Allmänna lagen med dertill hörande Författningar etc. ed. *J. G. Carlén*", Stockh. 1844 p. 223. *Obs.* Const. Reg. d. 18 Febr. 1768 prohibetur milites in Svecia conquirere, ut arma sequantur exteri cujusdam imperii. — De milite exercitum deserente, vid. Krigs-Art. c. 3.

[10]) *Obs.* Eadem de caussa, qua perduellio (cfr. p. 35), proditio etiam gradus secundi a cive Svecano in Norvegiam et a cive Norvegico in Sueciam committi potest.

af befallning, *försöka att våldföra* Riksens Ständer eller deras Utskott, eller någon enskilt riksdagsman, eller störa friheten i deras öfverläggningar och beslut, vare sådant ansedt som *förräderi*, och ankomme på Riksens Ständer att slika förbrytelser i laga ordning beifra låta." In §. 111. prohibetur, ne quis quendam eorum, qui comitiis intersunt, verbis vel factis violet *("med ord eller gerningar ofreda")* [1]; in eadem constituitur §., criminis illius, quod in legibus nostris appellatur *edsöresbrott*, reum esse violantem. Quærere jam licet, quibus limitibus violatio, a singulis in singulos *(af enskilt man mot enskilt riksdagsman)* illata, quæ in §. 110 commemoratur, distinguenda sit ab illa, cujus in §. 111. injicitur mentio. Ansam *§:i 110.* conscribendæ sine dubio præcipue præbuit vis a Gustavo III illata in ordines Regni et singula horum ordinum membra, in comitiis a:o 1789 habitis; a veritate igitur minime abhorrere videtur, ad ejusmodi vim in hac quoque §. respici. Et cum conatus violandi vix ac ne vix quidem haberi possit pro *perduellione*, ipsa vero violatio non nisi pro delicto *edsöresbrott* appellato, sponte effici videtur, ut hujus §:i, cum §. 111. collatæ, nulla omnino alia sit probabilis explicatio, nisi quæ continetur in "Förslag till Allmän Criminal-Lag (1832)" cap. 10, § 5 [2]), ubi hæc occurrunt: "Förgriper sig någon med våld mot Rikets Ständer eller deras Afdelningar eller Utskott eller enskilt riksdagsman, *för att* störa friheten i deras öfverläggningar och beslut, eller att deras sammankomster hindra"; — etsi ex ipsis *verbis*, quæ in §§. 110. adsunt, talis explicandi ratio vix elici possit. Si vero, quæ illata fuerit vis in singulos eorum, qui comitiis intersunt, non sit ex *ejusmodi consilio* profecta, §. 111. debet adplicari.

Priusquam huic opusculo nostro finem imponamus, quædam quam brevissime addere liceat de iis, quæ delictis publicis quam maxime propria habentur. Sunt qui negent, hæc delicta honestati (legi morali) esse contraria, utpote quæ sententiis de optima reipublicæ regendæ ratione diversis, et amore in patriam purissimo, haud raro originem debeant. Quæ opinio, quadam saltem ratione, inde profecta videtur, quod non satis accurate definita fuerit proditionis notio, quam quidem tam

---

[1]) Sententiam suam de vera verborum *§:i 111.* interpretatione exposuit Cel. *Schlyter* in Juridiska Afhandlingar, I H., Ups. 1836, p. 124 ff.

[2]) Coll. cum "Förslag till StraffBalk, Stockh. 1844, Motiver p. 23."

late patere existimarunt, ut etiam si quis de eo, qui jam exstitit, rerum ordine improbationem pronuntiaret, vel de statu communi ab iis, qui reipublicæ præsunt, dissentiret, hunc proditionis reum haberent, etiamsi ab omni machinatione scelesta fuerit alienus. Qui hosti patriam aut cives prodit; qui ei, ad quem defendendum sanctissime sese obstrinxit, principi manum infert scelestam; qui turbas excitat civiles ideoque omnis miseriæ exinde oriundæ, omniumque scelerum, quæ ab effrenata plebe committi solent, revera est auctor, is sine dubio culpam sustinet gravissimi criminis, etiamsi rationes consilii sui perhibeat, speciem præ se ferentes pulcherrimam; — via enim prava ad metam vel optimam tendere non licet. Longe alia est agendi ratio illius, qui vero patriæ amore ducitur; is quidem sine metu, etiamsi damnum sibimet ipsi paret, omni, *qua par est,* ratione in id enititur, ut ad salutem communem promovendam animos civium excitet melioremque alat sentiendi rationem, unde sperare licet, fore ut magis magisqve augeatur ea, quæ omnibus carissima esse debeat, patriæ felicitas. Qui vero ita sentit, is sane ab omni violentia sese abstinet. Nullius quidem interest civitatis a *tali* studio iniquis incertisque legibus suos ipsius cives deterrere. — Nemo est, quin videat, id proprium esse delictis publicis, præcipue gravioribus, ut ab *exitu* omnino pendeat, utrum in summos honorum gradus efferatur criminis auctor, an capitis reus habeatur. Sed in exitu felici aut infelici posita non est natura delicti; multo minus legislatoris est ad hunc exitum respicere. Nominasse sufficiat indolem esse his delictis præterea propriam, ut haud raro ex variis regiminis formis pendeat, utrum commissum habeatur, nec ne; et hæc etiam indoles in definiendo quid licitum sit, quid non licitum, generatim magnas creat molestias. Cum vero justitiæ sit magnitudine delicti poenam metiri, in crimine proditionis definiendo curam, quam poterit maximam, adhibeat legislator, ut et servetur incolumitas civitatis atque auctoritas superioris ipsius eorumque, qui nomine ejus agunt, et caveatur, ne incertis legibus vel honestissimi cives persecutionibus obnoxii sint [3]). Cui quidem justo desiderio non satisfaciunt legislationes nostro tempore priores, quæ, ut supra vidimus, in poena constituenda, varios conatus gradus heic non significant, et, quod multo magis est reprehendendum, ipsum ambitum criminis certis non circumscribunt li-

---

[3]) C'est assez, que le crime de lese-majesté soit vague, pour que le gouvernement degénére en despotisme. *Montesquieu,* de l' esprit des loix, Liv. XII, chap. 7.

mitibus. Ab aliis legislationibus pristinis non hoc respectu differre jus nostrum adhuc vigens, antea observavimus. Valde igitur opus est, ut emendentur quæ de his statuit criminibus; et sane est cur gaudeamus, quod rogatio de novo in Patria codice juris criminalis lata, et præcipue novissima hujus rogationis emendatio, quos, in hac re gravissima, legislatio nostri temporis fecerit progressus, suos omnino fecerint.

Corrigenda:

Pag. 4, lin. 7. leg. *de crimine illo.* E. p. l. 13 et 14 leg. terminum vocant technicum. Pag. 7 l. 13 leg. quædam. Pag. 8 l. 11 leg. indicem. Pag. 12 l. 3 leg. adulteratione. Pag. 18 l. 31 leg. *Rousseau.* Pag. 21 l. 19 leg. Annal.
